

DE INFIRMITATIBVS.

Planeta morbos suos portendit, cum in genitura morborum dominus est.

Planeta significans infirmitatem, si fuerit in ascendente, infirmitas erit in principio uitæ: In Medio cœli in medio uitæ: In occidente in senio: In angulo terræ, circa finem uitæ.

Sol in diurnis natiuitatibus, significat oculum dextrum, in nocturnis sinistrum.

Luna in nocturnis dextrum, in diurnis sinistrum.

Stellæ nebulosæ in zodiaco, nocent oculis. Sunt autem hæ nebulosæ in zodiaco, una est in Cancro, quæ per sæpe nebulosa dicitur, & est prima Cancri. Sunt & nebulosæ pleiades in Tauro, Item alia in octaua parte Sagittarij. Item Caput caudæ Scorpionis, quæ nebulosa Scorpionis dicitur. Item decima quarta in iuba Leonis. Item una in unda, quæ fluit ex urna Aquarij.

Si Luna infortunata fuerit, in primo gradu signi, natus erit cœcus aut contractus. Cancer, Leo, Scorpius, Sagittarius, Capricornus, Aquarius, si Luna in his fuerit, ex oculis natus laborabit.

Si luminaria fuerint in oppositione uel coniunctione, & mali in quadrato eorum, natus amittet à Sole oculum dextrum, à Luna sinistrum.

Luminaria impedita à malis ex quadrato uel opposito, nocebunt oculis.

Luminaria ambo in sexta, præsertim infortunata, natus absq; dubio excæcabitur, & si unum tantum eo in loco fuerit, in uno damnum patietur oculo. Similiter erit si aliquod luminare fortietur dominum sextæ, & infortunatum fuerit, & uniuersaliter, non poterunt oculi eius euadere graue periculum damnum uel, in cuius natiuitate fuerint luminaria impedita.

Luminare temporis iunctum corporaliter cum infortuna, uel si post luminare temporis ascenderit aliqua infortuna, natus uisum amittet. Et si hoc infortunium in angulo fuerit, uel si cum eo fuerit dominus ascendens, accidet hoc ei in pueritia. Si non fuerit in angulo, nec cum domino ascendens, in senio excœcabitur.

Vbi ascendens gradus infortunatus, aut luminaria obsessa inter duas infortunas fuerint, aut Sol in aliquo angulorum in quadrato Saturni, uel Luna eclipsata, & combusta in ascendente, uel medio cœli fuerit, is qui in tali nascitur stellarum positus, ex oculis periclitabitur.

Saturnus in prima in nocturna genitura, & in diurna Mars ibidem coniunctus Soli & Lunæ, debilitationem uisus, & oculi destructionem indicat.

Saturnus in secunda, si à Sole, Luna, & Marte, aspicietur ex trigono cœcitatem indicat.

Si Saturnus in undecima, Mars in decima, Luna in secunda, uel octaua, collocabitur, periculum erit cœcitatæ in altero oculorum.

Si Saturnus in septima in opposito Martis, ac Sol in secunda, Luna uero in sexta fuerint, indicant processu temporis cœcitatem ex fluxu capitis.

Saturnus cum Luna in decima, Sole & Marte in octaua positus, cœcitatē significat.

Saturnus cum Luna in tropico signo, & in eorum opposito Mars cum Sole, natiuam minantur cœcitatē.

Saturnus uel Mars in ascendente, uel septima partiliter, si Solem uel Lunam per quadratum uel oppositum uiderit, natus capietur altero oculo. Si uero ambæ maleficæ simul iunctæ, uel seorsim collocatæ utrumq; luminare uiderint, uterq; oculus caligine obfuscabitur.

Saturnus & Mars ante Solem ascendentes, uel post Lunam, præsertim si unus in opposito alterius fuerit, Sol dextro, Luna sinistro oculo mala protendit.

Sol in prima, Saturnus & Mars in secunda, in dextro oculo uicium nato discernunt.

Sol in prima, Luna in medio cœli, Saturnus in nona, Mars in secunda, si Luna

nam